

Bibliothèque numérique

medic@

**Petit, Marie-Antoine - candidat /
Jeanroy, Nicolas - président. - An post
longas defatigationes , subito instituta
vita deses periculosa ?**

1787.

***Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Parisiensis
Typographi
Cote : ms 2337a n°146***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0146](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0146)

DEO OPTIMO MAX. UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCE,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BLU. Santé
Médecine
Paris

QUÆSTIO MEDICA*,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS,
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis primâ mensis Martii,
anno Domini M. DCC. LXXXVII.*

M. NICOLAO JEANROY, Doctore Medico, Præside.

An post longas defatigationes, subito instituta vita deses, periculosa?

I.

EDICTO irrevocabili, natus inter dolores homo, per vitæ summam brevem, quàm multis opprimatur miseriis! A Naturâ prima mali labes. At sæpius sexcentis vitæ erroribus, ipsi Naturæ vitio stimulum addimus: nec per nostram patimur stultitiam, sopita filere aliquandiu quæ fovemus intus morborum semina: sicque ineluctabilis lethi acceleramus gradum. Quàm aliter esset mortalibus, si religiosi Medicinæ cultores, illius aris debitos imponerent honores! Discerent ab eâ, vitam quæ faciant beatorem. Qui leges illius servar, salubrem aspectum solis, salutiferamque ventorum perfusionem in habitationem volet sibi catus hospes. Curæ semper erit illi purus aër, tenuis, serenus, temperatus, nullis inquinatus vitiis. Non omnia indiscriminatim usurpabit alimenta; quæ magis Euepeptæ magis seliget. Deteriora sobrietate reddet benefica. Appositis quæcumque sint, eduliis utetur ad reficiendum corpus, non ad irritandam voracitatem. Potum queret qui faveat digestionem, sedetque sitim, non verò accendat. Legitimè tantum excernenda, è corpore prudenter eliminabit; retinenda servabit prudentior. Doctus quàm proflint læti affectus, animi pathemata, tranquillitati suæ infensa, vitabit sapiens. Docet pariter Ars salutifera longiori somno turpiter saginari corpus, vigiliarum nimietate tabescere ociosius. Utriusque par necessitas: suus sit in utroque modus. Monstrat quid & quantum dotibus contrariis conferant ad vitam motus & quies. Motu vivimus, pereunte motu vita perit. Viget ab illo solidorum fluidorumque corporis actio reciproca, vigent functiones, secretiones & excretionem variæ. Provocat appetitum, digestionem utilem operam reddit, providet nutritioni opportunæ, totum corpus firmat. Sed ne quid nimis. Lassitudinem supervacaneam fugiens, non reformidabis necessariam. Hâc arte blandam voluptatem afferent succedaneæ quietis vices. Illius beneficio labefactatæ reficientur vires, corpus instaurabitur. Vis sanus esse? Prudens alterum tempestivè alteri oppone. Eventu non dubio, alter alteri si modum non excefferis, medebitur. Si excefferis, cautè progredere: corpore diuturnis laboribus defatigato,

* Propugnata, anno 1761, ab illust. Præside, Theſcos Authore.

2

cave subito desidiolæ vitæ prorsus te committas. Omnis enim subita mutatio periculosa.

I I.

PERICULOSAM esse omnem mutationem subitanæam etiam si non merneret opportunè divus Senex, nonne vulgaris & quotidiana indicat experientia? Calefacta nimis corpora halitu frigido dissilire protinus, quis ignorat? Partes corporis viventis frigore urenti stupefactas, si æstu subito hypocausti calidioris imprudenter afflentur in gangrænam & sphacelum abire norunt omnes. Calidam aëris temperiem frigida excipiat, pressio pede sequitur proteiforme Catharorum genus omne; nascuntur Anginæ, Pleuritides, Peripneumoniarum, &c. Repentinis quibuscumque aliis aëris mutationibus mille modis afficimur aut lædimur. Lætitia & moeror, si ex improvviso, jure pari mortem subitam afferunt. A subito furore, timore, vel aliis quibuscumque animi pathematibus idem periculum imminet. Quid non reformidandum à subitâ suppressione mensium, lochiorum, hæmorrhoidum, &c? Evacuationes quædam, licet exleges, si consuetæ (ut in quibusdam hominibus,) cum medicastro imperitiâ sistuntur imprudenter, quàm tristes agunt in corpore tragœdias! Non aliâ ratione, doctâ medentis, perâ ereptus orci faucibus æger, post longa jejunia, si Medico dissidentibus stulte credens mulierculis larranti stomacho subito nimis indulgeat, tollitur è medio non hæc pollicitus sibi. *Ipsa quoque consuetudo, quàm non malè alteram naturam appellant, fert vitæ credenda.*

Boher.
num. 1026.

Hinc.

*Proscit potò Mithridates sæpe veneno,
Tóxica ne possent sæva nocere sibi.*

Helluones, edacesve, severiori diætâ, vini liquorumque ardentium strenui potiores, à subitâ consuetorum privatione, quasi fulcro soluto repente cadunt. *Mutatio subita à consuetis in nova, est ubique & semper quàm maxime periculosa, licet ex malis vulgè habitis in bona putata transiverit.*

Boher.
num. 1027.

I I I.

NON aliter sentias de vitâ desidiosâ post longas defatigationes subito institutâ. Otia non continuata, sed interpolata, corpori reficiendo e regum quidem ferent auxilium; at non impunè violentioris statûs quies longior proximas excipiet vices. Nec mirum: Quid enim per longas defatigationes corpori accidit? Quotidiano motu; eoque vehementiori quàm par esset, solidæ partes concussæ, majorem sollicitant influxum spirituum animalium, non sine magno tam pretiosi laticis dispendio vividius oscillant; hinc in fluidas reagent potentiùs, earumque accelerant gradum. Ab ingenti solidorum fluidorumque attritu, calor naturalis augetur ultrâ modum, functiones nimis intenduntur, aut pervertuntur. Sanguis reciprocè magno impetu exprimitur & admittitur intrâ suos canales. Nec inde feliciùs absolvitur secretionum opus: fervidiori cursu acrepti humores vix subeunt minima vasorum secretoriorum oscula aut partes eorum crassiores, tenuioribus solis frequentandos permeantes, canaliculos, non invienda sibi transiliunt loca. Fiunt interea copiosiores omnis generis excretiones per poros cutis, renes, intestina, &c. Motu continuo aquosæ dissilantur humorum particule, spirituosæ avolant; retinenda excernuntur foras; retenta coguntur in densitatem inflammationi proximam. Olea & sales nimis trita & attenuata quasi in putredinem exaltantur. Plus equidem appetit ventriculus fame vividiori sollicitatus, digerit animosius. Sed quâ tot partium detritarum reparationi sufficiat unus? Cum præser-

sim desideretur placidus ille intestinorum motus ad perfectam chyli secretionem tantoperè requisitus. Fractum igitur nec satis instauratur corpus, nec humidum radicale, vitæ pabulum illud apud veteres tam solemne, planè resatuitur. Tristis sanè corporis conditio, in quâ præceps ruit ad interitum! At quàm tristior, si accedat improvita quies & continuata! Quæ modò ultrà modum erant tensæ fibræ, relaxatæ in pari ratione fatiscunt. Jam nullo stimulo excitata torpescunt vasa. Hinc languet humorum circulatio. Eorundem dissipatis prævio motu fluidioribus particulis factam inspissationem, jam non compensabit effecta solidorum actio. Hinc congestiones, obstructions omnimodæ. Languente omni solidorum systemate: languent & ipsa secretoria organa. Præviæ, aut nullæ fiunt secretiones. Item de excretionibus; torpentibus oculis valorum transpirationi indicatorum, non sentiet corpus debitæ perspirationis beneficia. Deficienti auxiliatricem denegabunt operam alvus, vesica, fæcæ & ipsæ inertes. Jam sili irrita lex sapientis naturæ, quâ iussit excretiones alias aliarum esse vicarias. Retentis excernendis, à luxuriantium humorum foedâ colluvie quid non reformides! Non magis ingesta favent. Solito motu orbatus non appetita malè digerit alimenta ventriculus. Prævis auspiciis confecta chylosis, hæmatosim labe suâ inficit. Hinc pessumdati humores quotquot sunt in corpore, (utpotè à sanguine derivati) quasi certatim suam singuli afferent morborum iliadem. Hoc docet ratio, confirmat experientia.

F V.

ET verò in agricolarum durum genus, & alios homines maximis laboribus addictos conspiciantur oculi. Dùm infelix pauperies urget, victum quærentes ferè continuo labore exercentur; illis vix requies ulla: & tamen nullum inde patiuntur damnum, contrà ferè illibatâ fruuntur sanitate, longævamque adipiscuntur ætatem. Eadem si ad meliorem fortunam devenerint, & laboribus subito sese abstineant, sibi prius inauditis statim mille cruciantur infirmitatibus. Falsò incusant prævios labores; vitam fugiant inertem: illis exercitium præstò erit Medicina. Quâ ratione prius stabat incolumis sanitas prævens, eadem solâ amissa restituetur. Aspicere lubeat novos homines, qui omnia suæ fortunæ incrementa debent improbo labori, & irrequietis concurlationibus queis sollicitè fortunam ambientes fecerè ut ipsos Plutus amaret, cumularique bonis. Dùm res angusta domi cogebat ad laborem, inculpatâ sanitate florebat. Mox res fortunisque auctiores dum plaudunt sibi, mollique otio diffiunt; fortunâ dulci ebrios numero beatorum eximit, aureis trabibus insidens morborum cohors. Robustus acri labore Miles, igneam per æstatem, pluviosque ventos, vitam sub dio & trepidis agit in rebus. Castra movet, aut ponit: nunc gravibus oneratus armis, longum & difficile iter facit; nunc raptim cursûs magis quam itineris modò in hostem ducitur. Pulvere fordidum, totumque madentem sudore plusquàm frugalis excipit mensa. Stratus humi, ferè nudus, sub jove frigido, noctis vix degustat otia. In obsidiæ nobis urbium quot superandi labores! Vix credas inexpectatus. Qui sit, ut tam durum sustineant homines vivendi genus, imò valeant, sint læti, sint florentes; nisi quod ab ipsis vires animumque ducant labore? Adde quod gravem militiam non parum levet amor patriæ, & pulchra laudum cupido. At verò si tam laboriosæ vitæ protinus otia continua succedant, militarium laborum quàm quietis patientiores, semota prius occupat morborum caterva. Nonne prævi moris febres omnigenæ, pleuritides, peripneumoniæ nothæ, scorbutus, &c. totidem imprudentis otii stipendia, in hibernis plus deficiunt funera militum, quàm media inter prælia ipse hosticus ens? Exercitu ferè incolumi Alpes impervias perripit Annibalis labor, Romanosque ad Trebiam, Trasimena, &

4

Cannas ingenti cæde prostravit. Sed Annibalis ejusdem exercitum, quem fortium
arma Romanorum non vicerant, fregerunt ad Capuam mollioris otii voluptates
& deliciae. Adeo corpus animumque ignava corrumpunt otia!

V.

Libro II.
Aph. 51.

QUIS posthac ausit post longos labores imprudenti sese committere otio,
cùm à quiete minùs cautè usurpatà tot immineant pericula! Sibi longè tutius
consulet quisquis exercitio indulgens debito, illius modum non excefferit. De-
fessum corpus, non attritum, moderata quies certò reparabit & citrà noxam. At
verò si necessitas imperiosior coegerit ad longos labores, ne imprudentius malum
malo addas. Quæ data suo tempore profunt, intempestivè administrata nocent.
Quiete subitâ & diutius protractâ nedum deperdita refarciantur, instaureturque
corpus, fibrarum subitâ relaxatione earumque atoniâ, prosternuntur vires magis
ac magis, miserè languet humorum circuitus, læditurque naturalium, vitalium
& animalium functionum triumviratus. Statùs igitur corporis rationem habe sedu-
lus; timeas solidis torporem, marcorem fluidis inducere. Non nisi sensim ac sine
sensu quies laboris excipiat vices, ne quid detrimenti sanitas capiat. Nè facias,
sexcenta ingruent mala quæ feriozem exigent penitentiam. Id caverat mens pro-
vida divini Senis docentis: *Naturam agere ferre subitas mutationes, sensimque etiam
ad meliora convertendam esse.* Assentiunt melioris notæ auctores: *Neque ex nimio la-
bore subitum otium, neque ex nimio otio subitus labor,* Celsus ait: & alias, cum quis
mutare aliquid volet, paulatim debet assuescere. Ast reponet aliquis: *Contraria con-
trariis curantur*, lex est quam suprema morborum medicatrix fancivit natura;
quò igitur longiori labore fuerit extenuatum corpus, eò celerior succedat quies
& diuturnior, ut primam corpus recuperet dignitatem. Sunt quidem alternæ
cum labore quietis vices. Verùm est modus in rebus: Otii ut laboris, sunt certi
fines, quos ultra citràque sanitas consistere non potest. Bellè instituta quies defessa
membra levat, reparat spiritus: Sed diuturnior, ex se periculosa, tum maxime
periculi plena est post longos labores. Dum vitant stulti vitia, in contraria cur-
runt; si caret arte, ipsa semper ducit in vitium culpæ fuga.

Ergo post longas defatigationes, subito instituta vita deses, periculosa.

Proponebat Parisiis MARIA-ANTONIUS PETIT, Sueffionæus, Saluberrimæ
Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus.

A. R. S. H. 1787. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Typographi.

